



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

§. 4. De hæretico defuncto, qua ratione aduersus illum procedi possit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)



accrescit, tum ob scandalum, quod præbes te delinquentem efficiendo, facile responderi potest. Quia sæpe infamia, quæ aliis accrescit, non est tantæ considerationis, ac sunt tormenta, & dolores, quos negans sustinere debes: ideoque pensanda sunt, & prudentis arbitrio ponderanda, ut dicit Lessius *suprà num. 50.* Adde tibi imponendo falsum crimen non videris directè confanguineos infamare, & ius illorum lædere; aliàs eum ipsismet crimen committeres, contra iustitiam debitam honori confanguineorum peccares, & in confessione manifestare deberes, quos haberes confanguineos, ut sic plene iniustitia facta cognoscatur, quod est inauditum. Non ergo peccas contra ius debitum confanguineis, fatendo crimen falsum, sed ad summum peccas adversus charitatem tibi, & illis debitam. At hæc charitas, in iustitia non videtur cum tam gravi damno, & dolore obligare, sicut non obligat proprio honori ergo neque alieno. Scandalum autem ex huiusmodi confessione non videtur sequi: tum quia multi censere possunt te falsum esse delictum, non quia commisit, sed quia tormenta timuisti. Tum etiam quia si ex confessione delicti aliquod scandalum sequitur, & occasio præbetur aliis id ipsum committendi, penitentia, & dolore illius sufficiens reparatur. Ergo ex nullo capite hoc esse illicitum apparet.

5. Fator hanc rationem dubitandi efficacem esse, ac proinde censuræ repositæ sic reputatum delinquentem crimen tibi falsò impositum approbare ob gravissimam, & penè insuperabilia tormenta vitanda. Debes tamen in approbatione vitare mendacium amphibologia vitens. Solum autem hoc limitandum censuræ, si nobilis multò sis, familiamque habes nobilissimam, & de republica benemeritum: tunc enim debes atrocissima sustinere tormenta, ne falsò crimine tibi imposito familiam macules, quia bonum commune reipublicæ etiam cum vite dispendio conferare, & illarum custodire tenetis. sic colligitur hæc doctrina ex Lessio *lib. 2. c. 11. dub. 7. in fin. n. 50.*

§. III.

De hæretico absente contumace.

1. Quæ ratio citandæ est.
2. Ad huius defensionem admittitur excusator.
3. Quæ bona huius absentis sequestrantur.
4. Reus mortuus intra annum, neque eius delictum plene probatum, sicut in iudicio, neque ulterius ad condemnationem procedit.

1. **C**um adversus absentem proceditur, si delictum plene probatum non est, citatur publicè in Ecclesia, ut intra 30. dies compareat sub pena excommunicationis latæ sententiæ: quæ citatio tribus vicibus fit in qua idem tempus assignatur, & in qualibet illarum denuo accusatur eius contumacia, quo termino transacto declaratur reus in excommunicationem incidisse, & annus incogit speratur, an compareat: quo non comparente, tanquam hæreticus contumax damnatur, cuique effigies, seu statua curiæ seculari comburenda traditur, & bona sisco applicantur à die restitutionis, secundum *Farinacium quæst. 197. §. 12. num. 2.* Quod si delictum absentis contumacis plene probatum sit, non speratur annus ad eius condemnationem: ut bene dixit *Simanca in enchiridionum, tit. 46. num. 5.* sed accusata eius contumacia in tribunalis ad sententiam publicam proceditur.

2. Ad huius defensionem admittitur excusator allegans reus sic citatum non posse intra terminum signatum comparere, & pro qualitate excusationum solet prorogari terminus ad comparandum. Et sic in quadam causa, in Compostellana inquisitione anno 1619 fuit ex decreto supremi Senatûs prorogatus terminus quatuor mensium.

3. Bona horum absentium in tertium possessorem translata licet de rigore iuris sequestrari non debeant, si tamen paulò ante citationem fuga præcessit, probarique facile possunt, quæ bona sint, sequestrari debent: sic responsum fuit à supremo Senatu inquisitionis, Inquisitoribus Gallitiæ anno 1620. At si fugit reus tempore quo captura exequenda erat, sequestrantur bona pro derelicto habita, vel que in potestate uxoris, & filiorum reperiuntur. Quod si hæc discerni non possunt, sequestrantur omnia, quæ in eius domo reperiuntur, quia omnia illa esse fugitivi præsumuntur.

4. Si reus contumax moriatur intra annum, & eius delictum plene, & concludenter probatum non est, sed contra illum, tanquam contra suspectum procedebatur; tunc sistendum est, neque ulterius ad condemnationem deveniendum, nisi superveniant claræ, & legitime probationes *Farinac. q. 197. n. 103.* Si autem transacto anno contumaciæ obierit, communior sententia est condemnari posse, ut in *paragraphe sequenti* dicemus.

§. IV.

De hæretico defuncto, qua ratione adversus illum procedi possit.

1. Morte non extinguitur hoc crimen.
2. Vi defunctus hæreticus damnatur, debent adesse clara & dilucida probationes.
3. Quæ sint huius clara probationes.
4. Pendente processu, si moriatur reus, memoria non damnatur, nisi adsint clara probationes.
5. Si in excommunicatione ob causam fidei per annum infortesceat, peniri potest.
6. Adversus fautores hæreticorum non proceditur post mortem.
7. Ad condemnationem defuncti hæretici, citari debent filij & heredes.
8. Non tenentur hi comparere per se, sufficit si per procuratorem.
9. Quilibet volens defendere defunctum hæreticum admittitur.
10. Facto processu reus absolventis est, vel condemnandus, neque causam haberi potest in pendenti.
11. Possunt procedi adversus hæreticum defunctum, tamen si dilucida non sit eius heres probata: Affirmative, respondetur.
12. Dum causa agitur, bona non sunt sequestranda à tertio possessoribus.
13. Firmato processu, & hæresi plene probata damnandus est, & eius bona sisco applicanda.
14. Si tamen non probatur delictum, neque speratur brevi probandum absolventis est reus.
15. Si hæreticus penitentiam in extremis expetiverit, nunquam est damnandus.
16. Quo tempore prescribatur, ne contra defunctum procedi possit: Probabilissimum est quadriennio prescribi.

1. **D**icendum est primò etiam omnia crimina committentis morte extinguntur. I. defuncto ff. de publico iudicio, l. prima, cum alio C. si reus, vel accusator mortuus fuerit l. pupillum. §. in heredem ff. de reg. iur. l. ex iudiciorum in fine ff. de accusationib. l. prima, C. ne ex delicto defunctorum, & aliis non tamen extinguitur hoc crimen, sicut nec criminis lætæ maiestatis humane ex l. vlt. C. ad leg. iul. maiest. & est text. expellendus in l. Magnificas. §. 2. vers. in mortem. C. de hæretico, ibi in mortem quoque inquisito extendatur, nam si in criminibus maiestatis licet memoriæ accusare defuncti, non immeritò & hæc debet subire tale iudicium. Idem habetur clarè in cap. accusatus paragrafo in eo verbo, de hæretico in 6. & cap. si quis Episcopus eodem tit. de hæretico. cap. fin. 2. q. 3. cap. filij, de hæretico in 6. & aliis pluribus, quæ congerit *Farinac. q. 10. num. 36.*

2. Dico secundò, ut hæreticus defunctus damnatur requiruntur claræ, & dilucide probationes in hæresi decessisse: enim vivens damnari non potest, nisi legitime confessus, vel convictus à fortiori nec defunctus, qui iure le defendendi caret. Dico damnari non posse ut hæreticum: at bene ut de hæresi suspectum Respondendo nulla ratione id sustinere posse, quia solum in supradictis textibus conceditur adversus hæreticum condemnationi, non adversus hæresim suspectum: & infamatum: quod constat, quia ad confiscationem bonorum proceditur: ex dicto cap. accusatus, quæ confiscatio suspecto de hæresi conuicte non potest. Item quia suspiciones hæresis morte delinquentis extinguntur ex dicto cap. accusatus, §. si verò & ita tenet *Simanca. cathol. instit. tit. 18. rubr. de defunctis, num. 73. & tit. 46. rubr. de par. n. 77. & in enchiridionum, tit. 62. rubr. de mortuis n. 6. Farinac. q. 197. num. 103. Pegna 3. direct. com. 92. vers. & ratio quidem Vindict. Locat. in iudic. inquisit. verbo cadaverum num. 1. sine verbo filij num. 13. & verbo defunctus vers. secundo, in fin.*

3. Hæresis autem plene, & sufficienter probatur, si illam vivens confessus nec penituit; quia tunc tanquam peritæ, qui noluit Ecclesiæ reconciliari, condemnandus est. Ad huius probationem reducitur, si in carcere existens scilicet intermit; quia illa est quedam criminis confessio: credendum est enim ex conscientia criminis se interfecisse, neque voluisse de illo penitere: sic *Guid. salu. tract. de hæret. quæst. 2. n. 1. in fin. vers. committitur autem. Pegna 3. p. com. 42. vers. quod ipsum in eo & vers. de illo qui in carcere. Farinacius quæst. 197. num. 90. Simanca tit. 18. cathol. instit. num. 31.* Secundo probatur testibus, qui debent esse omni exceptione maioris, aliis plene, & concludenter non probantur.

4. Hinc fit si pendente processu mortuus fuerit inquisitus, eius memoria damnari non potest, nisi aliunde plene, & concludenter hæresis probata fuerit, tum quia infamatus de hæresi, hæreticus non est, tum quia copio hæres de fidei sententia innocentiam probasse, dum malitia defuncti plene probata non est: sic ex *Simanca, Deciano, & aliis notatur Farinacius quæst. 197. num. 99.*

§. Dubium



Dubium est, an hæresis probata sit sufficienter, ex eo quod probetur extinctio quis contumax per annum in excommunicatione ob causam fidei, & sic mortuum esse? Et ratio dubij est, quia ille non est vere hæreticus, sed solum iuris fictione. Ergo lex extimens crimine extinguendo, de vero crimine hæresis, & non præsumpto, debet intelligi. At credo probabilis sufficienter hæresim illius probati. Si enim illa probatio viuentis delinquentis sufficeret ad illum tanquam hæreticum declarandum & condemnandum, cur mortuo ipso sufficere non debet? Si quidem iam à iure illa contumacia tanquam legitima probatio hæresis, & non tantum suspitionis illius admittitur: & ita tenet Clarus præf. §. hæresis, n. 19. vers. item de crimine in fin. Decian. tract. crim. lib. 5. c. 57. n. 6. Farina. q. 197. n. 93.

6. Fit liceando aduersus fautores, defensores, receptatores hæreticorum nequaquam post mortem procedi posse: habetur expressè de accusatus, §. si verò, de hæret. in 6. ibi eius heredes non est satisfactio pro extincto iam crimine iniungenda. Et ratio est clara, quia non sunt hæretici, sed de hæresi suspecti. Solum autem crimine hæresis post mortem delinquentis puniri debet feruatur. Ergo non horum crimine: & ita pluribus relatis docet Pegna comm. 92. ante medium, vers. alterum cap. Simanc. cathol. insit. 4. rub. de accusat. num. 5. Decian. tract. crim. lib. 5. c. 57. n. 35. Farina. q. 197. n. 104.

7. Dico tertio. Hæretici memoria condemnari non potest, nisi prius citentur filij, & hæredes, quorum interest, siue sint præsentibus, siue abentes, siue certi, siue incerti; quia iusta de iure nemini est deneganda. Cum ergo filij, & hæredes grauissimum dampnum patiantur ex defuncti condemnatione, tum infamatum in bonis, quæ ab illis auferuntur, citari debent, vt si viderentur impotentes defendere, allegare possint, si quid habeant in eius defensionem. Vt autem hoc facere possint, danda est illis copia iudiciorum, & accusatorum, quia nullus ex cogitari potest aptior modis defendendi defunctum, quam probationes in contrarium infirmando: sic Decian. tract. crim. lib. 5. c. 57. n. 8. Pegna 5. part. direct. comm. 92. circa fin. vers. cum vete moritur. Farina. q. 197. num. 106.

8. Hi verò filij, & hæredes non tenentur per se comparere, sufficit, si per procuratorem compareant, & sic comparando sustinentur: sic Farina. supra num. 83. c. 3. num. 106. Simanc. in enchiridium, tit. 43. rub. de procuratoribus, num. 3. Solum à defensione hæretici defuncti, qui consolationem in extremis ab hæreticis expolauit, excluduntur filij, cuiusque domestici, nisi velint probare non sanæ mentis hæc fecisse, iuxta cap. filij, de hæreticis in 6. quæ prohibitio ad aliam quæcumque defensionem non extenditur, vt ex Deciano notant Farina. q. 197. num. 111.

9. Dubium tamen est, an quilibet à populo volens hæreticum defunctum defendere, admitti debeat? Negat Ioannes Rojas singul. 39. Neque ratio est deest, nam si filius non est, neque hæres, neque illius consanguineus, sua non interest illius condemnatio. Ergo allumens illius partes videtur esse hæreticorum fautor, & defensor, Ceterum communis sententia, & tenenda adest, quælibet volentem sic citatum defendere, admitti debere. Ratio est, quia vtiliter gerit negotium Ecclesie, & religionis, cum enim Ecclesia suis edictis citet ad comparandum eos, qui defunctum velint defendere, & casu quo nullus comparet, ex officio signat defensionem, vt Doctores statim allegant, vt tradunt, efficitur sanè assumentem defensionis officium, negotium Ecclesie facere, & non proprium. Adde. Appellatio equilibet pro morte damnato admitti solet. Ergo etiam admitti debet hæc defensio, cum vtiq; in charitate fundetur. Neque obinde dici potest hæreticorum defensor, quia vique dum condemnatus sit, non constat hæreticum esse: solum enim constat ipsum, cuiusque filios, hæredes, & consanguineos in summo discrimine, & periculo grauissimi damni versari, quod si iustè noceri possit, charitas petit, vt auertatur. sic Simanc. cathol. insit. cap. 18. num. 15. c. in enchiridium tit. 62. rub. de mortua, num. 8. Decianus tract. crim. lib. 5. cap. 37. n. 34. Farina. q. 197. numero 108. Pegna direct. 3. part. quaestione 92. vers. eo termino claso. c. sequentibus Gundialu. tract. de hæreticis, quæst. 22. num. 9.

10. Dico quarto. Facta citatione, & processu formato ea licentia, qua fieri possit, vel reus defunctus absoluendus est, vel condemnandus: neque enim in suspensio causam Inquisitores habere possunt, quia id cederet in grauissimum filiorum, & hæreticorum præiudicium, quibus & matrimonia, & contractus celebrare multum ex illa suspensione impeditur; cum nullus audeat contrahere cum illis, quorum ascendens periculo damnationis est expositus, & quorum contractus periculum rescissionis subeunt, quocumque diuinitæ auferenda sunt: sic ex Absoluti instructione an. 1498 lata pro Inquisitoribus Hispanis nocent Pegna dicto commentario 92. vers. obseruandum etiam ceteros.

11. Nunquam tamen debent Inquisitores defunctum citare, & causam contra eius memoriam prosequi, nisi plenam, dilucidamque probationem in hæresi decessit habebatur, sic notant Rojas tract. de hæreticis, 2. p. num. 30. & adducit instructio Ferr. de Castro Sum. Mors Paris I.

nem Granatensem, Hispalensem, & Madrilianam Simancas cathol. insit. tit. 18. rub. de defunctis, num. 12. c. 19. in enchiridium, tit. 62. rub. de mortua, num. 3. Farina. q. 197. num. 120. Pegna 3. part. direct. comm. 92. post medium, vers. in hac causa. Sed ceterè spectato iuris rigore cetero aduersus hæreticum, semiplenè probatum, inquiri posse, & causam agere: si enim aduersus illum viuentem instituta erat inquisitio, & processu pendenti mortuus fuit, poterit Inquisitor prosequi: quia semper cenetur prosequi causam aduersus hæreticum: sic Decianus lib. 5. crim. cap. 57. num. 6. c. 9. Farina. q. 197. num. 99. c. 100. Alias si semper causa defuncti ante citationem, heredum plenè probati debet, frustra ad eius defensionem hæredes citantur.

12. Interim tamen quo casu formatur, quouisque sententia accedat, non sunt bona à possessoribus sequestranda, quia ipsi non deliquerunt, & cum ritè possederint, non debent in casu dubio illorum vlu priuari. sic Pegna dict. comment. 92. vers. tamen si verò Farina. q. 197. num. 102.

13. Formato ergo processu, si hæresis est plenè probata, damnandus est, eiusque bona fisco sunt applicanda, etiam si ad tertium deueniret possessorem, & eius olla exhumanda, si fortè à Catholicis possunt distingui; ac tandem eius effigiem, seu statuam comburendam: sic plerumque relata à Farina. q. 197. num. 92. c. 94. c. quæst. 10. num. 38. Forma autem sententia optima est, quæ deducitur ex eo, quæ lata fuit in Concilio Constantiensis sessione 8. aduersus Ioannem VVicleff. hæreticum quam refert Pegna dict. comm. 92. circa fin.

14. Quod si hæresis plenè probata non sit, neque speratur breuissimo tempore probanda, absoluendus est reus, ne eius fama pariat detrimendum, nec filij & hæredes grauentur. In hac enim absolute nullum Ecclesie, neque fisco sequitur inconueniens: siquidem superuenientibus nouis probationibus, ex illis, iunctis is, quæ antea erant in processu, poterit sic absolutus condemnari, vt bene aduertit Pegna supra dict. comm. 92. post med. vers. quod si fortassis.

15. Notanter semper fuit locus de hæretico sic decedente nam si in extremis signa contritionis exhibuit, & iudicialiter ob temporis angustiam absoluti non potuit, nequaquam eius memoria est damnanda, sed potius debet ad reconciliationem admitti, ex text. in cap. à nobis, el. 1. de sent. excom. & argumento à contrario sensu colligitur ex cap. filij, de hæret. in 6. & multis exornat Vmbert. Locat. in iudic. inquisit. verbo caducum, n. 1. fin. c. verbo filij, n. 13. fin. c. verbo Inquisitor, num. 25. Farina. q. 197. num. 20. c. 21.

16. Dico vltimo varias esse Doctorum sententias, super tempus, in quo præscribitur, ne contra defunctum procedi possit. Aliqui enim neque contra mendici Doctores affirmant quinquennio præscribi, alij triennio, alij triennio, alij quadricennio, alij denique existimant nullo tempore præscribi, quorum opinioniones refert Vmbert. Locat. in iud. inquisit. verbo cadauera, num. 5. Decian. tract. crim. lib. 5. c. 57. num. 12. Rojas tract. de hæret. 2. parte num. 193. c. singul. 50. Pegna 3. part. direct. comm. 92. vers. his ita positus, c. sequentibus. Farina. q. 197. à num. 112. c. quæst. 10. num. 82. In qua diuersitate iura mihi verior sententia apparet, quæ affirmat solo quadricennio præscribi: cum enim ius confiscandi bona hæreticorum dixerimus quadricennio præscribi, & hoc ius sit accessorium memoriæ defuncti damnate, efficitur & toto illo tempore memoriam defuncti damnari posse: sic pluribus comprobatur Rojas supra. Malcaudus de probationibus libro 1. conclusio. 112. num. 19. & Farina. q. 197. num. 82. vers. tu dic. Neque audiendi sunt Doctores, qui inter damnationem memoriæ defuncti, & confiscationem suorum bonorum conuolunt differentiam: ij sunt Baiardus ad Clarum, §. hæresis, num. 27. Felinus cap. cum nobis, de præscript. num. 52. relatus à Deciano lib. 5. criminalium, cap. 57. num. 12. ante medium, qui affirmant quinquennio præscribi in damnatione memoriæ defuncti, & in confiscatione quadricennio. Alij e contra in confiscatione dicunt quadricennio præscribi, iuxta textum in cap. 2. de præscript. lib. 6. In damnatione autem memoriæ, & in aliis hæreticorum penis nullo tempore præscribi: sic Pegna supra dicto comment. 92. circa principium vers. his ita positus. Thomas Sanchez lib. 2. cap. 12. numero 42. Azorius 3. p. insit. lib. 1. cap. 18. vers. nihilominus. Gaffis lib. 2. suarum decisionum, cap. 11. n. 12. vers. c. hæc intellige. Non, inquam, inaudiendi sunt, tum quia, vt bene dicit Farina. q. 197. num. 116. hæc distinctio nec iure, nec ratione fundatur, tum quia confiscatio accessoria est memoriæ defuncti condemnate, taliter quod non requiritur specialis sententia super bonorum confiscatione, sed eo ipso, quod memoria defuncti damnatur, bona ipsius manent fisco addicta, & illa liberè occupat. Ergo si memoria defuncti non nisi infra quinquennium damnari potest, neque confiscatio vltra locum habeat, vel e contra si memoria defuncti damnata potest, & confiscatio, quæ illi accessoria est, semper intrare debet.

DE  
S  
A  
L  
A  
T  
I  
O  
N  
I  
I  
I

